



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica quinta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

dientia, quem & nobis ipsis determine-  
mus, ut benedicat Pater spiritualis.  
Oremus & Feriali VI. ad pulsum Agoniae  
Domini quam devotissime, nostramque  
infirmam voluntatem commendemus  
in vulnera morituri Jesu. Moritur ille,  
ut vivamus obedientia.

## Dominica V. post Pentecosten.

### EXHORTATIUNCULA I.

**V**irtutem Pharisaicam hodiernum  
detestatur evangelium; genui-  
nam vero, & vere Christianam, quae ha-  
betur per humilitatem, & simplicitatem  
cordis intimam, commendat plurimum.  
Si Christiani sumus, boni sumus in opere.  
Fili! nolimus solum videri; judicia ho-  
minum fallunt; non vero opera virtu-  
tum. Judicet nos Deus! quid homines  
ad nos?

### *Instructio meritoria.*

Procul cum hypocrisi, & pietate ad  
speciem! ut possideamus virtutem soli-  
dam, Spiritum Sanctum cum septem  
donis hodie invocemus, & minus Offi-  
cium de Eo recitemus. Et ut ambule-  
mus

mus viam Domini eò ferventiùs, & tutiùs, cubiculo oculum Dei aut calamò, aut penicillò pictum affigamus. Ubi Deus in corde, ibi nec hypocrisi, nec fraudibus locus. Apage ergò cum illo Machiavellico: *Homo me videt. Principium sit sanctius nobis: Deus me videt.*

II.

**F**ili! quid hodie nobis Christus Jesus? tremenda verba, dum dicit: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Pharisaorum &c. non intrabitis in regnum cælorum.* Ecce! nec virtutes coram Deo securæ sunt; nam vana gloria, aut propria complacentia plerumque eas reddunt invisas Divinis oculis. Chære! scimus ergò, quid supremo persequamur odio? scimus & quid fugiamus continuò.

*Instructio meritoria.*

Ne tinea tam noxia nostra devoret sancta pietatis opera, quid agendum? meridie, & vespere nostram renovemus intentionem matutinam cum protestatione Davidica sæpiùs aut mentaliter,

E 4

aut

aut vocaliter repetenda : *non nobis, Domine! non nobis, sed Nomini tuo da gloriam. Vel: Te decet laus! tibi gloria Deo Patri & Filio cum Sancto Spiritu in secula seculorum. Amen.* Quis ut Deus? Reddite Deo, quæ Dei sunt: Cæsari, quæ Cæsaris.

## III.

**Q**uis diligit Deum? qui colit, & diligit fratrem, ac proximum. Cæsarem offendimus, si in hujus statuam expuimus. Deum aggredimur, & contempnimus, quoties spernimus fratrem. O fili! quid agimus? non quos natura, & carnalitas, sed quos vult Lex Dei, & rectæ rationis, venerari, & amare oportet. Secus nobis fiet ut Ethnicis, & gentilibus, ut brutis, & bestiis, quæ non amant, nisi quod placet sensualitati. Quales Christiani sumus nos? quales Jesu pro inimicis orantis, & morientis discipuli? ô confusio, si nulla amplius inter Ethnicos, & Christianos distinctio!

*Instructio meritoria.*

Charitas excelsum Spiritûs Sancti donum!

num! ut mereamur, ad noctem quotidie 7. *Pater & Ave* in honorem septem Verborum Morientis in Cruce Jesu persolvamus, & quidem pro omnibus, & singulis, qui nos offenderunt, aut contristârunt. Nunquid redditur pro bono malum? Apud impios. Christianus didicit in bono vincere malum.

Dominica VI. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

**I**Nanes hodie prohibet curas Christus Dominus, & vanas sollicitudines circâ transitoria, dum mandat: *Quærite primum Regnum Dei; cætera adjicientur vobis.* Extrâ, quidquid quarimus, aut affectamus, jam nostra infelicitas est. Et hanc quis appetet?

*Instructio meritoria.*

A sæculi nugis, & actibus ut liberemur, & liberè ad coelestia, ac immortalia avolemus nostris desideriis, frequenter hodie vel soli in cubiculo, aut devoti in templo studeamus esse, & pro impetrando perfecto sæculi contemptu in honorem totius Ætatis Christi 34. *Pater*